

38  
HORTULUS THESIUM PHI-  
LOSOPHICARUM,

*Quarum veritatem*

TRINO FAVENTE NUMINE:

PRESIDE

CLARISSIMO ATQ.

EXCELLENTISSIMO VIRO, DN.

CASPARO FINCKIO, LOGICES ET

Physices in Nova ac inclyta Illustriss. ac Celsiss. Principis ac

Domini, Dn. LUDOVICI, Hassiæ Landg. ACADEMIA

GIESSENA, Professore publico, pro ingenii

sui viribus publicè defendendam

suscipiet

REINHARDUS DERNIUS LEISTRANUS

*Hassus.*


Habebitur disputatio die x. Julii, horis pomeridianis in Au-  
ditorio magno arcis.



GIESSÆ HASSORUM,

*Excudebat Nicolaus Hampelius, Typogr. Acad.*

MDCVII.



ADMODUM REVERENDIS, CLARISSIMIS

Doctissimisq; viris:

Dn. JEREMIAE VIETORI, SS. Theol. Doctori, & Ecclesie Giessensis Pastori, cæterarumq; ad Lanum, & in Dicecesi Niddana Superintendenti vigilantissimo, Mæcenati ac Patrono suo submissè colendo.

Dn. LAURENTIO STEPHANI, Ecclesiarum in Comitatu Illustris ac Generosi Domini, Dn. LUDOVICI Comitis in Nassaw, Sarbruck, Sarwerda, &c. Superattendenti, præconi Verbi Divini apud Weilburgenses fidelissimo, fautori suo *ἡμῶν καὶ ἀξιοτάτω.*

NEC NON

CONSULTISSIMIS, CLARISSIMIS, EXCEL-

lentissimisq; viris:

Dn. JOANNI KIZELIO, J. U. in inclyta Academia Giessena Professore celeberrimo.

Dn. M. CASPARO FINCKIO, Logices & Physices Professore in Patriâ Academiâ præstantissimo.

ITEMq;

REVERENDIS ET DOCTISSIMIS VIRIS:

Dn. M. JOANNI MERCATORI, Ecclesie Lützellindanæ Pastori dignissimo, Præceptori quondam fidelissimo.

Dn. ADAMO WILLIO, Ecclesie Leigestrænæ Pastori vigilantissimo, amico suo plurimum dilecto.

*Dominiis suis Mæcenatibus, Præceptoribus ac Promotoribus integerrimis æternum colendis, hunc hortulum Philosophicum in debita observantia ac gratitudinis testimonium merito dedicat ac offert*

AUTOR ET RESPONDENS.





POSITIONES LOGICÆ,  
DE RELATIS.

THESIS PRIMA.



On minus verè, quàm eleganter inquit *Scal.* nostram in studiis sine Logicæ lumine peregrinationem esse miserabilem quandam errationem *exer. 359. sect. 1.* Rectè item dixit Zabarella Logicā esse regulam, ad quam omnes aliæ scientiæ informantur. Non igitur oleum & operam me perditurum esse putavi, si doctrinam relatorum ex agro Logico desumerem & sub incudem philosophicam revocarem.

2. Cùm autem definitio explicet rei essentiam, *Scal. lib. de plantis, p. 106.* Sit explicatio τῆς οὐσίας, *Aristot. libr. 2. post. c. 2.* omnium anchorarum firmissima, *Scal. ex. 301. f. 1.* Relatorum definitionem è P. Ramo præmittemus.

3. Et quia ambiguarum vocum probanda est distinctio, ut monet *Taurellus pag. 625.* Dicemus cum Scholasticis, relata alia esse æquiparantiæ, alia suppositionis.

4. Relata æquiparantiæ sunt, quæ habent unum, idemq; nomen sed duas res, ut frater & frater, hospes & hospes, &c. frater n. fratris frater est, hospes hospitis hospes.

5. Relata suppositionis sunt, quæ diversa habent nomina & diversas res significant, ut Dominus & servus, causa & effectus, &c.

6. Relatorum autem à P. Ramo effertur definitio talis. *Relata sunt contraria affirmantia, quorum alterum constat è mutua alterius affectione, lib. 1. Log. c. 14.*

7. Dicta verò sunt relata contraria affirmantia, propter duplicem considerationem eorum. Sunt enim nunc consentanea, nunc dissentanea.

8. De priori respectu rectè inquit Zabarella *lib. 1. de mat. 1. c. 9.* Relati naturam & essentiam consistere in correlato. Quandoquidem relatorum posito uno ponitur alterum, *Zabar. de facult. anim. c. 23.* & habent mutuam inter se relationem, *Zab. in lib. de Pred. Tab. pag. 118.* usq; adeò ut alterum ab altero pendeat, secundum essentiam & existentiam, *Zab. de materia prima, c. 9.* neq; unum intelligi potest sine relatione ad alterum, *Fons. lib. 5. instit. Dial. c. 4.* quippe cum sint mutue ad invicem causæ & effecta, hoc est, ponant & tollant se tam in essendo, quàm in cognoscendo, *Down. li. 1. p. 257.* vide plura apud *Dn. Pras. in sched. Philos. & Theol. 4. 2. 2. pag. 71.*

9. Exinde igitur emergunt hæc axiomata. I. Relata omnia sunt simul naturâ, & prius & posterius non habet locum in iis, *Arist. in categ. cap. 7. Zab. in phys. p. 199.* II. Relata se mutuò definiunt, *Arist. 2. top. c. 4.* Dico disertè, Relata omnia sunt simul naturâ, si naturæ vox sumatur pro essentiâ & existentia respectivâ, non verò quatenus accipitur pro essentiâ & existentia absolutâ, *Timpl. in met. l. 5. c. 5. quest. 14.* III. Fieri non potest, ut qui unum relatorum definitè noverit, alterius definitionem ignoret, *Down. lib. 1. log. ex 6. top. c. 4.* quippe cum alterum sine altero esse non possit, *Scalig. lib. de cc. ll. pag. 357. Dn. Pras. d. loco.*

10. Breviter. Relata habent æqualem  $\nu\pi\alpha\epsilon\zeta\iota\nu$ , reciprocamq; essentiam, *Down. lib. 1. log. c. 14.* Et quia sunt  $\alpha\upsilon\lambda\iota\sigma\pi\epsilon\phi\omega\nu\tau\epsilon$  sequitur posito patre ponendū esse filium, propter mutuam eorum  $\alpha\epsilon\zeta\iota\nu$ , ideoq; neq; patrem annorum numero filium, superare, cum relatum unum comparatione alterius causa non sit, siquidem ambo sunt simul naturâ, *Colleg. Connimb. l. 2. phys. quest. 1. c. 3.* & quia cognoscimus res, ut sunt, *Zab. de naturâ scient.*

*fient. constit. c. 22.* Eadem enim ratio essentiae est, quae cognitionis & contraria, *Per. lib. 1. c. 13. & lib. 3. c. 13.* quippe cum sint res cognoscendae eo modo, quo sunt in natura, *Zab. de nat. scient. constit. c. 5.* & se mutuò constituent in essendo & cognoscendo, *Zab. lib. 1. de facult. anim. cap. 3. & lib. 2. de propos. necessariis, c. 2.* ulq; adeò ut si pater est aeternus, filius etiam aeternus sit, *Damasceus de orthod. c. 6.* Et haec quidem de priori respectu.

11. Quod ad alterum respectum sive considerationem relatorum attinet, consistit ille in dissensione, quatenus unum uni tantum opponitur, quando in uno subjecto & respectu ejusdem ex uno affirmato negatur alterum, *Bu-cherus l. 1. log. c. 14.*

12. Neq; tamen sunt duae diversae affectiones, quae sibi invicem cedunt, sed una mixta affectio: MIXTA (inquã) quoniam cum maximè repugnant, eodem momento alterum constat ex mutua alterius affectione. Hãc autem affectione mutata argumenti genus mutatur, relata esse definiunt, atq; ad aliam categoriam referenda sunt, quae propria illius affectionis sedes est, *Down. l. 1. log. pag. 252. & 253.*

13. Itaq; quantam consensionem habent relata, quatenus consentiunt, ut pater est. Ergò habet filiũ: tandem dissensionem inter se habent, quatenus unum non potest esse alterum, non enim filius est pater, nec pater filius: quare dicendum est, relata esse ancipitis naturae, vel habere jus utriusq; civitatis, id est, esse consentanea & dissentanea. Consentanea quidem, ratione *γένεως* & habitudinis inter se invicem, nimirum quatenus se mutuò ponant, & simul tollant, ut vulgè *Arist. 6. top. c. 3.* Ex remotione verò mutuae istius affectionis sunt dissentanea, quando paternitas & filialitas de eodem subjecto affirmari non possunt, *ut pater est. Ergò non est filius.*

QUESTIO I. METAPHYSICA.

An accidens possit esse sine subiecto?

Ad negationem est ἐναντίως.

**E**leganter inquit *Cic. l. 5. de finibus*. Tantus est innatus in omnibus cognitionis amor & scientiæ, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento incitata rapiatur. Id quod *Arist. lib. 1. met. c. 1.* hoc modo expressit: *πέντες αὐτῶν ποιοῦσι εἰδέναι ὁ ἐγγενεῖ φύσις*, id est, homines natura scire appetunt.

2. Quapropter ut hujus perplexæ, & multorum hominum tricis atq; spinis involutæ quæstionis scientiam venemur, oportet ut per causas cognoscamus. Scire enim rem est per causas cognoscere, *Arist. 2. post. c. 2.*

3. Fundamenta verò, quæ pro negativa sententia hujus quæstionis militant, sunt hæc. I. Cujus esse est ineffe, illud nō potest existere sine subiecto. At verò accidentis esse est ineffe, *Zab. de med. demonstr. lib. 1. c. 3.* Ergo accidentis natura non potest existere sine subiecto.

4. II. Ratio. Si accidens potest esse sine subiecto, aut erit proprium aut commune: non proprium, quia etsi accidentia propria vocentur essentialia, non ut essentiam subiecti constituentia, sed ut consequentia, *Zab. lib. 1. de mat. c. 10. vide Dn. Pras. sched. 34. pag. 119.* Tamen pro fundamento habent subiectum, imò definiuntur mentione facta suorum subiectorum, quippe cum sint substantiis posteriora, *Scal. ex. 5. f. 1. & Dn. Pras. sched. 57. pag. 205. & 206.* & à subiecti principiis fluant, *Scal. exerc. 12. f. 3.* ita ut propter hanc causam accidens non sit accidentis accidens, nisi quatenus ambo inhaerent uni scilicet perfectè dicto subiecto, seu substantiæ, *Arist. l. 4. meta. c. 14.* Non accidens commune: quamvis enim hoc nō quidem fluat ab essentialibus principiis subiecti, nihilominus

minus tamen propter capitis fluxibilitatem habet subiectū,  
ut inquit *Scholastici*, siquidem non fluunt ab essentia sub-  
jecti, sed ab existentia potius, *Keck. lib. 1. log. c. 20*. Ergo acci-  
dens non potest esse sine subiecto.

5. III. Ratio: Si accidentia possent esse sine subje-  
cto, erit hoc illis naturale vel supernaturale. Non naturale,  
quia accidens non est natura, sed potius res secundum na-  
turam. *Per. l. 7. c. 4. Arist. 2. phys. c. 2. r. 5*. Et hoc esset contrarium  
accidentium naturæ, quæ est hæere in subiecto, *Zab. l. 2. de  
med. demonstr. c. 5*. Accidentis enim proprium & essentiale est  
inhæere alicui subiecto, non verò tantum posse inhæere,  
*Timpl. l. 3. met. c. 3. q. 9*. & propter hanc causam inquit *Scal.* ac-  
cidens esse ens per aliud, ac propinquum non enti, *exerc. 10*.  
quod si accidentis naturæ contrarium est, nullo modo po-  
test dici id, quod rei contrarium est, *Colleg. Conn. c. 4. de gen. &  
corrupt. q. 16. art. 3*. Neq; est illis supernaturale, quia hoc Dei  
potentiæ esset ascribendum, sed à posse ad inesse non valet  
consequentia, præsertim cum in Theologia voluntas Dei  
potentiæ illius præsupponenda sit, *Dn. Osiander in Enchiridio*.  
Cum igitur de hoc non habeamus excusam Dei volunta-  
tem, non potest dici esse hoc accidentis supernaturale, esse  
sine subiecto. Quare accidentia non possunt esse sine sub-  
jecto.

6. Neq; obstat nobis, quod *Scal.* dicit, accidentia o-  
mnia habere essentiam conflatam ex actu & potentia, quip-  
pe cum ibi sumatur in latissima significatione, & opponatur  
non enti, addit autem, quod utrumq; habeat pro efficiente  
causa substantiam, *Scal. exerc. 325. f. 2*. Aliis accidens ideò est  
ens, quia est aliquid entis, id est, substantiæ, quemadmodum  
sentit *Themistius*, ideòq; nunquam accidens agit aliquid, nisi  
per vim suæ substantiæ, *Scal. ex. 5. f. 5*. Unde & modus & men-  
tura accidentiū sequitur naturā subiecti, in quo *Per. l. 10. c. 10*.

QUÆ-

QUESTIO II. PHYSICA.

An odores verè nutriant? N.

1. **R** Ectè dubitare est initium sapientiæ, *Arist. l. 3. metaph. c.*  
3. Ingressi igitur fragrantissimum Physices hortulum  
in dubium vocamus hoc ζήτημα: An odores verè nutriant?  
Quamvis verò haud pauci sint, qui contrariam sententiam  
ambabus ulnis amplectantur, tamen quia Philosophi veri  
munus est, semper parère rationi, & veritatem, non solùm  
mente, sed & ore confiteri, *Zab. lib. Apolog. c. 1.* non nudà au-  
thoritate, sed & rationibus nixi à parte negante stabimus:  
quippe cùm non autoritas rationis, sed ratio autoritatis do-  
mina ac regina esse debeat, *P. Ramus schol. metaph. c. 3.*

2. **A** sseveramus igitur & asseveranter asserimus, o-  
dores non verè nutrire, idq; propter has rationes. I. Ex iis  
constamus, ex quibus alimur. Atq; ex odore nō constamus.  
Ergò neq; alimur. II. Porrò omne alimentum est corpus  
compositum, quia quod corporeum non est, neq; in substā-  
tiam corporis nostri converti potest, ideòq; nutrire nequit,  
*Arist. lib. de sensu & sensib. c. 5. Scal. ex. 303.*

3. **I**II. Quod si alimentum debet esse corpus, aut  
est alimentum aut elementatum: quia omne corpus, aut est  
elementum, aut constans ex elementis, *Per. l. 7. c. 11.* At non  
elementū: nam corpora simplicia, cujusmodi sunt elemen-  
ta, odore carent, *Arist. lib. de sensu & sensib. c. 5.* Erit igitur con-  
stans ex elementis, itaq; compositum.

4. **I**IV. Ratio. Omne nutrimentum constat ex qua-  
tuor elementis diversæ naturæ, & igni in corpore humano  
respondet bilis, aëri sanguis, aquæ pituita, terræ melancho-  
lia, *Andr. Laur. lib. 1. Hist. anat. c. 2. pag. 9.* Atq; odores non con-  
stant ex quatuor elementis diversæ naturæ. Ergò odores  
non possunt esse nutrimenta.



3. Demiq; omne alimentum in ventriculum assumptum oportet, ut alteretur & cōcoquatur. Alteratio autem, quia est mutatio, est, in qua, eodem sensibili subiecto manente, alia qualitas acquiritur vel abjicitur, *Arist. de ortu & inter. 4. & 5. phys. c. 2.* Sed odor non recipitur in ventriculum. Ergo neq; alteratur, neq; concoquitur. Alimentum enim est id, quod futurum est hoc, cujus ratione dicitur alimentum, ut inquit *Scal. ex. 59. f. 1.* Cū itaq; nutritio sit vacui repletio, assumptum autem vacuum corporeum sit, propterea etiam nutrimentum tale erit.

---

QUÆSTIO III ETHICA.

*An virtutes nobis insint naturā? N.*

1. **Q**uamvis verum sit, indagationem hujus quæstionis non utilem esse ad machinas farinarias conficiendas, exiit tamen animum inscitæ rubigine, acuitq; ad alia, ut eum *Scal. loquar ex. 307. f. 3.*

2. Animus igitur est sumere judicium è Philosophico ærario, & flores quosdam ex *Arist. agro Ethico* decerpere, quibus ad sententiam nostram confirmandam nos accingamus, & negantium castra ingrediamur de proposita quæstione.

3. Ita autem insurgo. I. Natura non nisi unum agit, *Scal. exer. 138.* natura enim unum ad unum ordinat: ἢ φύσις ἐν αἰσῶν ἐν τῷ ἑαί, *Arist. 2. phys. cont. 8.* Quippe quæ non nisi ad unum est comparata, ut idem quoq; semper operetur, nisi aliter sese habeat, *Taurell. de rerum æter. pag. 336.* Ut ignis non potest non calefacere, *Scal. exer. 138. vide axiomata philosoph. apud Dn. Præsidentem sched. 10. pag. 35.* Jam verò virtutes possunt consuetudine mutari. Fieri enim potest, ut homo rectæ rationi non obediat, & affectibus suis frenum non injiciat, sed quævis pro libitu & arbitrio suo agat, & ita virtutes è sinu suo excu-

tiat & expellat. Consequitur igitur, virtutes non inesse nobis à natura.

4. II. Quicquid naturà est, illud à specie est, quicquid à specie est, illud immutabile est *Scal. ex. 141*. Atq; virtutes non sunt immutabiles. Essent enim semper eadem in homine, neq; dari ratio posset, cur huic magis, alteri minùs competant. Neq; sunt à specie, aliàs enim essentialè aliquid essent, & ita vel materia, vel forma. At neutrum: neq; enim sunt vel corpus, vel anima. Ergò neq; à natura, quia à natura quicquid est, illud ubiq; unum est, *Arist. 8. phys. t. 180*. Non autem omnes homines virtutibus esse ornatos tam in proclivi est, quàm pluvia, cùm est imber.

5. III. Ratio. Quicquid crebris actionibus comparatur, illud nobis non inest à natura. Sed virtutes crebris actionibus comparantur. Ergò non insunt à natura. Assumptionem autem sic puto posse probari. Virtus est habitus, *Arist. 2. Eth. c. 6*. Habitus autem ex crebris actionibus comparantur, quibus habitus assimulantur, *Arist. l. 3. Ethic. c. 5*. Ergò etiam virtutes sunt ex crebris actionibus. Hinc est, quod *Scal. ait*, virtus, quemadmodum omnis habitus, comparatur actionibus sæpè repetitis & iteratis, *7. de cc. ll. pag. 336*. Huc accedit, quòd virtus est bonum animi, *Arist. lib. Eth. c. 3*. Dicitur etiam bonum electionis, quod à ratione oblatum voluntas amplectitur, & est bonum morale seu *ἠθικόν*, quod conforme est rectæ rationi, cui opponitur malum morale, quod à virtutis norma discrepat, idq; contra rationem, ita ut quodcunq; contra rationem fit, vitium sit: Et omne vitium præter rationem, *Scal. ex. 307 f. 3*.

6. IV. Si virtus nobis inest à natura, aut erit affectus aut qualitas: Affectus non est, quia propter affectus neque laudamur, neq; vituperamur, *Arist. l. 2. Eth. c. 5*. Atq; propter virtutem laudamur, *Arist. l. 1. Eth. c. 12*. Neq; est facultas, quia facultas

6  
facultas *δύναμις* naturâ nobis inest, non ita virtus, *Arist. l. 2. Ethic. c. 1.* Erit igitur habitus, *Arist. lib. 3. Ethic. c. 5.* Et quidem bonus, quia reddit bonos, *Arist. lib. 1. c. 7.* Quam ob causam virtus dicitur, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit, *Arist. l. 2. Eth. c. 6.*

7. V. Quemadmodum igitur fabricando fabri, ita quoque justa sæpè agendo justii reddimur, *Aristot. lib. 2. Ethic. c. 1.* Non enim boni aut mali efficitur à natura, *Arist. l. 2. Eth. c. 4.* sed ex actionum crebritate, aut ex paucis benè validis habitus creatur, *Scal. ex. 307. f. 4.* Unde eleganter ait *D. Bernhardus*: Virtus vult cum humilitate quæri, cum labore inveniri & cum honore haberi.

COROLLARIA.

1. **H**elleboro purgandos esse censeo, qui choreas prorsus damnant: non enim actiones per se sunt male, verum ex accidenti.
2. *Cachinnus stultitiam arguere dicitur: Hinc tritus versiculus: Per risum multum debes cognoscere stultum. Unde hæc? quia stulti carent judicio discernendi risu dignum à non ridiculo. Modestum interim risum & hilaritatem honestam quis improbet?*
3. *Vulgatam sententiam non esse veram, quod cerevisia refrigeret, dico.*
4. *Tenebræ non videntur, nec silentium auditur, Scal. ex. 15. August. lib. 12. de civit. Dei, c. 7.*
5. *Tenebræ in cælo non sunt.*
6. *Multa mendacia vera esse tritum & verum est.*
7. *Affirmatio prior est negatione.*
8. *Maxima animalia Solidungula singulos parere fetus: Minora autem multifida multos excludere, bisulca paucos, præterquam sues: assero.*

9. *In plantis esse animam rationalem assevero.*  
 10. *In plantis esse animam rationalem constanter nego.*  
 11. *Mulieribus & animis effæminatis facile fluunt lacrymæ,  
 juxta illud Ovidii: Ut flerent oculos erudière suos, tum propter animi,  
 tum corporis infirmitatem.*  
 12. *Vinum aut nullam aut perexiguam, quæ citò evanescat,  
 producere spumam, contra cerevisiam crassam & copiosam ajo.*



AD DOCTISSIMUM Dn. CANDIDATUM  
 REINHARDUM DERNIUM amicum  
*suum.*


**D**ERNIUS in patria jam nullâ est voce Magister,  
 Nam patriam in patria non regit ille Scholam.  
 Rustica gens hoc moris habet: quis culpet? at illa  
 Interdum ingenio judicioq; caret.  
 Ut sit id: officium fac respondentis, amice,  
 Discute morosophas, quâ potes, arte strophas:  
 Et septemgemina diteris in arte Magister  
 O DERNI, patriæ fama futura tuæ.

*Casparus Finckius Præses.*

---

Errata. Pag. 3. th. 6. l. affertur pro effertur. pag. 5. th. 13. l. tantam pro tan-  
 dem, th. 5. l. 11. l. post dici naturale: quippe naturale nullo modo potest dici.  
 pag. 2. th. 3. l. 2. l. elementū pro alim-enium. pag. 7. th. 6. l. 8. l. moi us pro modus.

F I N I S.



facultas *Arif. l. 2. Ethic. c. 1.* Erit igitur  
nus, quia reddit  
tus dicitur, quæ  
reddidit, *Arif. l. 2. Ethic.*

7. V. Q  
quoque iusta sãp  
c. 1. Non enim bo  
c. 4. fed ex actione  
habitus creatur,  
*hardus*: Virtus vult  
niri & cum hono



1. **H**elleboro pu  
non enim a

2. *Cachim*  
culus: Per risum  
hac? quia stulti care  
lo. Modestum inter

3. *Vulgata*  
frigeres, dico.

4. *Tenebra*  
15. August. lib. 12.

5. *Tenebra*

6. *Multa*

7. *Affirm*

8. *Maxim*  
Minora autem mi  
quam sues: assero.



the scale towards document

*rist. l. 2.*  
dem bo  
sam vir  
bonum

abri, ita  
2. *Ethic.*  
l. 2. *Eth.*  
validis  
D. Bern  
re inve



ammant:  
ti.

us versi  
Vnde  
ridicu  
probet?  
visiare

cal. ex.

te factus:  
prater

9. In